FRASERIDES

SIVE

Funebris Oratio & Elegia,

In laudem DESIDERATISSIMI VIRI,

JACOBI FRASERII, J. U. D.

COLLEGII REGII ABERDONENSIS Mæcenatis & Patroni beneficentiſſimi; Qui *Londini* obiit, xxvi *Maii*, A. D. M.DCC.XXXI. Ætatis ſuæ Lxxxvi.

Habita in ejuſdem COLLEGII *Maximo Auditorio, ejuſdemque Anni* xxviii *die* Septembris, *qui* FRASERIO *Natalis fuit; coram Univerſitatis* RECTORE, MODERATORIBUS & PROFESSORIBUS; *nec non frequenti conventu* AUDITORUM, *genere, literis, pietate & virtute inſignium.*

Jubente SENATU ACADEMICO.

Perorante JOANNE KER, Græcarum Literarum Profeſſore.

ABERDONIÆ:

Excudebat JACOBUS NICOL, URBIS & UNIVERSITATIS Typographus, *A. Æ. C.* M.DCC.XXXII.

17 May 1814. }
Speck Ld Lovat }

ILLUSTRISSIMO, NOBILISSIMO,
ac POTENTISSIMO PRINCIPI,

COSMO GEORGIO
DUCI de GORDON,

MARCHIONI de HUNTLY,
COMITI de HUNTLY & ENZIE,
VICECOMITI de INVERNESS,
BARONI GORDON de BADENOCH, &c.
Prisci FRASERII THANI de COWIE,
MATERNO ORTU, HÆREDI.

QUID Tibi Natali donem, ILLUSTRISSIME COSME?
Munera quæ valeam, munera parva, fero.
Accipe, FRASERIO tenuis quæ Musa parentat;
FRASERIIS junctus stemmate, sume bonus.
Sed Tibi Natali supplex quid NUMINA poscam?
DII genus & formam jam tribuêre Tibi,
Ingeniumque & opes magnas, multosque clientes.
Hoc peto: TE VERA NOBILITATE BEENT;
TE VIRTUTE BEENT; MENS SIT TIBI CONSCIA RECTI:
TE PATRIÆ NATUM TE MEMINISSE VELINT.
Sic tu Nobilior, sic tu formosior Ipse,
Ditior & multò, MAXIME COSME, fores.

Jo. Ker.

E Coll. Regio *Aberdonensi*, xxvii *Aprilis* M. DCC. XXXII. Ipso die natali DUCIS GORDONII, cum xiii Ætatis Annum iniret.

FUNEBRIS ORATIO,

In laudem desideratissimi Viri, JACOBI FRASERII, J. U. D. COLLEGII REGII ABERDONENSIS *Mæcenatis & Patroni beneficentissimi, qui* Londini *obiit,* XXVI *die* Maii, A. D. M. DCC. XXXI. *Ætatis suæ* LXXXVI.

CUM, compertâ morte Mæcenatis nostri eximii, τȣ μακαρίτȣ JACOBI FRASERII, nobis à Senatu Academico demandatæ fuissent partes, præstantissimi illius viri eximiam & singularem in ALMAM MATREM nostram munificentiam, in publico hoc Auditorio, tempore aliquo opportuno celebrandi; haud absurdum duximus, si hunc ipsum diem IV. Kal. *Octobres*, qui FRASERIO natalis fuit, quemque ei, dum in vivis erat, solennem colebamus, huic & vitâ functo, eundem sacrum haberemus. Quò igitur expeditius mandata exequamur, non vos, *Auditores Spectatissimi*, longis orationis ambagibus morabimur; paucis tantummodo ipsius seriem generis, ut & totius vitæ rationem & institutum, ab ipsâ ineunte ætate perstringere visum.

FRASERIUS noster, sicut ego accepi, generoso FRASERIORUM stemmate, in provinciâ *Innerneſſensi* oriundus, *Atavum* habuit *Farquhardum Fraserium Thomiden*, qui Armiger nobilissimi D. D. de LOVAT, prælio *Blarolanensi* ad lacum *Lochæum* inter FRASERIOS & DONALDINOS acriter commisso interfuit, ibique fortiter pugnans occubuit. Is *Thomides*, genus suum refert ad *Joannem Fraserium, Alexandridem* de *Farilon* in *Valle Hericâ*. *Avum* autem habu-

it HECTOREM FRASERIUM Fiduciarium prædii *Kiltarletæani* ; Patrem vero ALEXANDRUM FRASERIUM, V. D. apud *Pettienſes* Miniſtrum. *Pettienſium* pagus, STUARTORUM Caſtello, quod MORAVIÆ COMITUM eſt, conterminus, ab INNERNESSO, urbe celebri, quatuor milliaria diſtat. HECTOR ſeptem genuit filios : ex prima uxore quatuor ; *Joannem* ſcilicet, paterni prædii hæredem, *Farquhardum*, *Lachlanum* & *Donaldum*. FARQUHARDUS Decanus fuit Eccleſiæ Cathedralis in *Æbudis* inſulis, quæ à *Scotiâ* in occaſum vergunt : vir vere doctus & pius, dignuſque habitus, qui in Epiſcoporum ordinem cooptaretur, quô honeſtandum fuiſſe haud ambigebatur, ſi huic DEUS diuturniorem vitæ uſuram dediſſet. *Farquhardo* ex *Janeta Maclenæa* Comarcho de *Coll* natâ, geniti ſunt duo filii ; alter *Joannes*, qui in *Decanatu Æbudarum* patri ſuffectus eſt, alter *Jacobus*, in iiſdem Inſulis Presbyter. *Joannes* ſcripſit libellum de re apud Montanos noſtros & Inſulanos, multùm celebratâ, ſed huc uſque parùm exploratâ, *ſecundâ* nimirum *viſione*. *Joannis* hujus filius *Thomas* hodie V. D. Miniſter eſt de *Boleskin*. LACHLANUS, *Hectoris* tertius filius, V. D. Miniſter in *Abriâ*, uxorem duxit *Janetam Fraſeriam*, filiam *Thomæ*, *Comarchi* de *Struy*. DONALDUS quartus filius, agriculturæ ſtuduit.

HECTORI, ex ſecundâ Uxore, *Marjoriâ Fraſeriâ*, filiâ *Malcolmi* de *Culduthel*, nati ſunt tres filii, & unica filia : hæc nupſit *Andreæ Fraſerio* Paſtori de *Boleskin* ; horum natû ſecundus fuit *Thomas*, qui Tribunus Militaris ſub CAROLO Rege contra CROMWELLIUM meruit ; natu tertius *Gulielmus* : uterque prolis expers interiit. ALEXANDER verò, primogenitus ex *Margaretâ Clogæâ*, *Gul. Clogæo* V. D. apud *Innerneſſenſes* Miniſtro natâ, quinque genuit filios & tres filias : harum media, cuidam *Grantæo* nomine nupſit. Filii erant JOANNES natu maximus, A. M. Scriba *Edinenſis* ; ſecundus HUGO, Paſtor Eccleſiæ *Kiltarletæenſis*, quæ nobiliſſimo & illuſtriſſimo D. D. de LOVAT parochialis eſt ; tertius JACOBUS noſter, J. U. D. Quartus GULIELMUS, *Gubernator* appellatus : quintus ALEXANDER natu minimus, pulchritudine ſuâ adeo nobilis, ut dum hîc in Collegio Regio ſtudiis operam navaret, ab æqualibus ſuis, FLOS JUVENUM vulgo audiret. Is Artium Magiſter, à doctiſſimo Viro *Rob. Forbeſio* P. P. renunciatus A. D. 1676. in *Angliam* profectus eſt, & inde in exteras regiones, ubi fatis conceſſit. HUGO uxorem duxit *Annam Moraviam*, filiam *Kentigerni Moravii*, de *Blebo* Equitis:

quitis: hinc nati ſunt liberi; *Alexander* civis *Londinenſis*, & duæ filiæ, quarum altera *Fraſerio* de *Tennykyle*, altera *Fraſerio* de *Erchit* nupſit. In album *Almæ Matris* noſtræ receptus eſt *Hugo*, ab *Arch. Maſſæo* P.P. celeberrimo, qui & poſtea Progymnaſiarcha fuit, A. 1658, & A. M. renunciatus, A. 1662. Sub ejuſdem auſpiciis, *Hugoni* æquales erant duo viri, literis & virtute ornatiſſimi, *Georgius Middletonus* & *Jacobus Gardenus*, S. Th. Doctores, quorum uterque in COLLEGIO REGIO claruit, hic S. T. Profeſſor, ille per complures annos Gymnaſiarcha. GULIELMUS, quartus *Alexandri* filius, ubi præclara facinora virtutis ſuæ indicia edidiſſet, munitiſſimo caſtro *Sancti Georgii* præfectus eſt, quod munus inter ea quæ ejus generis tenet *Britannia*, quæſtuoſiſſimum habetur. Caſtro etiam *Sancti Davidis* aliquamdiu præfuit. Cælebs diem clauſit ſupremum.

JAM autem ad fratrem tertium redeo; is vero JACOBUS noſter, qui cum in ſcholis inferioribus apud patrem literarum tyrocinia poſuiſſet, bonique ingenii ſpem dediſſet, *Aberdoniam* in *Athenæum* hocce noſtrum commigravit, quò in græcas literas & Philoſophiæ ſtudia incumberet. Huc appulſus ipſo eodem anno, quò feliciter ſolio reſtitutus eſt CAROLUS II*dus*; ætatis annum agens decimum quintum: per triennium audivit venerandum virum *Patricium Sandilandium* Progymnaſiarcham, Philoſophiam profitentem, ac quarto demum anno, *Robertum Forbeſium*, virum doctrinâ inſignem, qui tum temporis Philoſophiam itidem profitebatur, poſtea vero Jus Canonicum. A. 1664, cum è ſuggeſto hoc ipſo, coram ſolenni cætu illuſtre ingenii ſpecimen edidiſſet, Artium Magiſter à *Forbeſio* ritè renunciatus eſt. Hoc teſtatur *Almæ Matris Album*; hoc teſtantur FRASERII ipſius inſignia, quæ & hodie conſpicere liceat, unà cum reliquorum Candidatorum inſignibus, ſcitè picta & inſcripta FORBESII cameræ, quæ nuper fuit THOMÆ BOERI (unde jam nomen ſortitur) doctiſſimi illius Medicinæ Doctoris, & celeberrimi apud nos Matheſeos Profeſſoris, quem ſibi morte ereptum, uſque lugebit ACADEMIA noſtra. Inſignia hæc FRASERII olim inſcripta, boni ominis fuiſſe ipſius in *Almam Matrem* pietatis futuræ, tutò jam augurari fas eſt.

FRASERIUS noſter, laureâ magiſteriali ornatus, in *Angliam* contendit, ubi variis maximè nobilium Procerum liberis inſtituendis præpoſitus, unà cum his, pleraſque omnes *Europæ* regiones peragravit. Quam provinciam ſibi demandatam, ſummâ cum fide & laude adminiſtravit, quod illi non uno modo in commodum ceſſit. Nam illuſtriſſimi hi Proceres

ceres, qui ipsius curam in liberis doctrinâ erudiendis, eorumque moribus consilio & prudentiâ fingendis probassent, in grati animi symbolum, sicuti moris est apud *Anglos*, illi annuas pecuniæ pensiones durante vitâ, uti fama fert, sanctissimè persolvendas curârunt. Hinc illi caput rei familiaris, virtute & industriâ quæsitæ, quam partam, haud minore virtute tuebatur, alieni haud avidus, sui nec profusus, nec nimium parcus. A fratre autem GULIELMO *Gubernatore*, haud exiguam facultatum suarum partem accepisse dicitur JACOBUS noster, dignissimus qui acciperet, qui tam multos ipse largiendo beârit. Reliqua verò *Gulielmi* bona, fororis filio *Alexandro Grantæo*, Militum Præfecto cesserunt. Haud obscuri jam nominis FRASERIUS, Princeps fere perhibetur, qui eâ tempestate auctor fuerit compluribus illustrissimis & generosissimis per totam *Angliam* viris, & ex Patricio & ex Equestri ordine, *Bibliothecas* sibi privatas optimis libris quam instructissimas habendi. Codices ipse rariores haud paucos, elegantiora putâ Græcorum & Latinorum Autorum exemplaria, inter peregrinandum comparaverat. Apud ipsum *Regem* CAROLUM in honore habitus; ut & apud ejus fratrem JACOBUM, qui eum Bibliothecæ suæ Regiæ præfecit, dignumque censuit, qui libros prelo subjiciendos oculis lustraret, & de sententiâ suâ imprimendi privilegium irrogaret. Hoc testantur libri impressi, FRASERII licentiâ & auctoritate muniti. A CAROLO, *Duci* SANCTI-ALBANI instituendo præfectus, & deinde Collegii celeberrimi *Regii Hospitalis Chelsæensis* à secretis creatus est primus, vix absolutis ædificiis. Hoc munere per quadraginta fere annos functus est, regnantibus CAROLO, JACOBO, GULIELMO & ANNA. Eum in deliciis habuit GEORGIUS primus, & cum illo sæpius sermones conferre haud dedignatus est, & licet eum, ingravescente senectute, muneris onere levaverit, ipsius tamen beneficio & emolumento per totum sui regni curriculum frui permisit. Necignotus fuit longævus FRASERIUS Augustissimo nostro Regi GEORGIO II. & Augustissimæ Reginæ CAROLINÆ, quem quidem, quippe qui libertatis *Brittonum* vindex esset acerrimus, suspiciebant.

UXOREM duxit MARIAM NARSIAM, cujus pater annuum censum tenebat septingentarum librarum in provinciâ *Oxoniensi*, cui Avus erat celeberrimus ille JASPER CLEITONUS, civitati *Londinensi* præfectus, cuique Matertera fuit quæ nupsit *Nobilissimo Comiti* de YARMOUTH. Ex hac uxore FRASERIUS

genuit

genuit duos filios, totidemque filias : filiorum natu major JACOBUS, Militiæ nomen dedit ; alter GULIELMUS, mercaturam exercet in *Penſilvaniâ*. Filiarum natu majorem collocavit ALEXANDRO DUNBARO de GRANGEHILL, orto ex generoſâ & antiquâ ſtirpe DUNBARORUM de WESTFIELD, qui *Moraviæ* Præfecturam per ſecula quædam ad noſtra uſque tempora hæreditario jure obtinebant, quem Magiſtratum non ita pridem ſummâ haud exiguâ redemit Nobiliſſimus COMES MORAVIÆ. Filia natu minor MARTHA, ÆLIÆ IMPÆO civi *Londinenſi*, nupſit. Singulos liberos, cum mares tum femellas, bis mille nummis aureis patrimonii nomine donavit : id teſtantur FRASERII epiſtolæ ad GYMNASIARCHAM noſtrum ſcriptæ ; de hoc etiam certiorem me fecerunt viri quidam fide digniſſimi, qui id ſæpe ex ipſo FRASERIO audierunt : idque præter alia haud ſpernenda munera quæ iis durante vitâ deinceps largiebatur, præterque ea quæ ſupremis ſuis tabulis ſingulis legavit. Cum illi minus placeret *Jacobus* filius, nec per annos aliquot ipſi commercium ullius rei cum illo eſſet, ex eo tamen nepoti *Jacobo* conſuluit, comparatis prædiis de *Weſter-Moy*, in provinciâ *Moravienſi*, mille libris ſterlinenſibus : inde huic puero, quamdiu ſuperſtes foret, triginta libras annui censûs perſolvi juſſit, prædiorum autem iſtorum jus hæreditarium, (idque præter dotem) MARIÆ filiæ ejuſque liberis ſanxit, ratumque fecit. Paulo poſt mortuo hoc NEPOTE, patrem ejus JACOBUM, ex inimicitiis in gratiam recepit, eique rebus anguſtis laboranti facilis ſuccurrit, datis quingentis nummis aureis, quibus comparatum eſt in *Anglia* beneficium, unde huic perpetuum ſuppeteret alimentum. Hoc abhinc circiter triennium factum liquet ex ipſius FRASERII epiſtolis ad GYMNASIARCHAM noſtrum ſub idem tempus miſſis. Eidem JACOBO ex iiſdem terris modo dictis, annuum reditum quinque & viginti librarum legavit, nec non uſuram trecentarum librarum ex capite ſortis ſuæ *Indicæ*. GULIELMO filio legavit quadringentas libras ; centum ex ſorte ſuâ *Indicâ*, & trecentas ex ſorte ſuâ *Auſtrali* ; ut & Nepotibus ſuis ex filiâ MARTHA, *Jacobo* & *Fraſerio Impæis* ducentas libras, ſingulis centum, ex ſorte itidem *Auſtrali*. MARTHAM unà cum marito IMPÆO, teſtamenti ſui Executores ſtatuit ; unde his cedunt reliqua ipſius omnia bona, præter ea quæ aliis legata ſunt. Hæc omnia patent ex ſupremis FRASERII tabulis, Chirographo & ſigillo ſuo munitis, decimo die *Septembris*,

M.

M. DCC. XXX. iterumque firmatis xix die *Maii*, M. DCC. XXXI.

JAM autem à privatis & domesticis FRASERII beneficiis, ad ipsius publica & communia festinandum ; ea in primis quibus ALMAM suam MATREM, ACADEMIAM nostram REGIAM pro insigni suâ liberalitate beneficentissimus auxit & ornavit. Hæc tam multa, tanta, & tam longo temporis spatio dissita, ut unde incipiam, quò progrediar, hæreat animus ; utcunque serie temporis ductus, auspicabor ab eo quod longissimè abest. Abhinc annos sex & quinquaginta, hoc ipso mense *Septembri*, A. 1675, *Bibliothecæ* COLLEGII REGII ABERDONENSIS muneri misit *Homeri* opera omnia, *Spondani Commentariis* illustrata, uno volumine comprehensa, dum apud exteros cum filio natu maximo, Nobilissimi COMITIS de BERKLEY peregrinaretur. Hoc volumen scitè compactum & pulcherrimè deauratum, fuit præmium à LUDOVICO XIII. *Galliarum* Rege, datum ludis solennibus *Collegii Claromontani* in UNIVERSITATE PARISIENSI. Hæc patent non solum ex deauratis Regis LUDOVICI insignibus, quæ totum tegmen exornant, sed ex inscriptione ludorum Præsidis Chirographo & sigillo munitâ. Alios deinde libros deinceps mittere solebat in usum COLLEGII REGII. Anno 1712, mensis *Aprilis* die xvii^mo, *Londini* tradidit THO. BLACKWELLIO, tum S. T. P. in COLLEGIO MARESCHALLANO, postea Gymnasiarchæ, volumina centum, & amplius : nec non ad eundem, mense *Septembri* sequentis anni quinquaginta volumina *Londino* devehenda curavit. Hi codices huc usque in Bibliothecâ *Collegii Mareschallani* clauduntur, licet eos deponendos in Bibliothecâ *Collegii Regii* subinde moneant ipsius FRASERII Epistolæ, & ad GYMNASIARCHAM nostrum & ad meipsum missæ, unà cum eorum catologo qui penes nos est, ex ipsius etiam Chirographo. Bibliothecæ nostræ, tradidit venerandus vir DAVID ANDERSONUS, S. T. P. noster ornatissimus, libros quosdam, quos à FRASERIO *Londini* acceperat, mense *Januario*, Anno M. DCC. XV.

AD propiora verò jam, & majora progrediendum. Anno 1723, mense *Sextili*, nunquam satis laudandus FRASERIUS, Vir de literis optimè meritus, *Londino Aberdoniam* advectus, comitantibus MARIA filiâ, & ipsius MARITO, dum in MORAVIAM iter faceret, ALMAM suam MATREM invisit, ædesque ævi injuriâ partim lapsas, partim labentes oculis cernens, animoque in ALMAM

MAM PARENTEM pio ductus, illico GYMNASIARCHÆ noſtro, inſtaurandæ *Bibliothecæ* causâ, quinquaginta libras *Anglicanas* tradidit, in partem ducentarum librarum quas aliquot ante annos ſe ACADEMIÆ noſtræ legaturum pollicitus fuerat. Nec mora; Academiæ Moderatores, feſtinare, demoliri. Continuò, BIBLIOTHECA VETUS, *Veſtiarium* templi ſubterpoſitum, *Gazophylacium* ſeu *Cimeliarchium*, & *Capitulum* ſeu *Domus Capitularis*, ubi publica *Collegii Comitia* haberi ſolebant, (quæ tres ædes templo contiguæ, *Collegii Regii* aream ad ſeptentrionem claudunt,) opera celeberrimi ELPHINSTONII, & venerandi STUARTI *Antiſtitum Aberdonenſium* funditus diruuntur. BIBLIOTHECA NOVA, longitudine duplo fere aucta, ac quatuor SCHOLÆ infra poſitæ, Græcarum literarum & Philoſophiæ prælectionibus ſacratæ, ab imis fundamentis, polito lapide, pulcherrimum in modum extruuntur, feneſtris diſtinctæ fulgentibus, & ad normam exactis. Quod opus, tantâ induſtriâ & fide perfectum cum præſens ipſe FRASERIUS vidiſſet & probaſſet, anno ſequenti, menſe *Octobri*, dum è *Moravia Londinum* rediret, præter dictas ducentas, alias centum libras ſe inde remiſſurum promittit ad reficienda DUNBARIA TECTA, quæ tunc partim ſolo æquata, partim jam jam caſura nutabant. Hæc clariſſimi GAVINI DUNBARI, *Præſulis Aberdonenſis*, Ædificia COLLEGII Aream ad Auſtrum claudunt, & inſtaurari cæperunt, A. 1725. & ad angulum ab Occidente hiberno *Capitolium* vulgo appellatum, perducta, A. 1730. Ea autem Ædificia quæ Orientem ſpectant, (ubi *Aula noſtra Communis ſuperior*, Camerâ antiquâ & auguſtâ ornata, & *Aula inferior*, ſeu *Schola publica*) olim à nunquam non laudando ELPHINSTONIO condita, nuper etiam inſtaurata fuerunt; *Aula* nimirum *ſuperior*, A. 1723. ex munificentiâ ornatiſſimi viri JOANNIS BUCHAN de CAIRNBULG, *Chiliarchæ*, antiquâ familiâ BUCHANORUM de AUCHMACOY oriundi, qui Auctor fuit *Cohortis ſuæ Præfectis*, ut in ALMAM MATREM ſtipendiorum reliquias quaſdam erogarent; *Aula* verò *inferior*, ſumptibus ACADEMIÆ, exeunte Anno 1725.

FRASERIUS *Londinum* provectus, polliciti fidem cito liberavit, menſi ſcil. *Novembri* proximo, & anno ſequente 1725, menſe *Februario*. Perſolutis jam trecentis libris, en! intra paucas hebdomadas adfertur epiſtola altera, pollicens alias ducentas libras, ad ulterius provehenda DUNBARIA TECTA. Inopinatâ hac, & quæ adeò deſiderabatur munificentiâ perculſus SENATUS ACADEMICUS,

gaudio-

gaudioque perfusus, in gratissimi animi indicium, FRASERIO suo novos decernit honores : isque ex merito JURIS UTRIUSQUE DOCTOR creatus & ritè renunciatus. Et nos lætitiæ publicæ, quantum in nobis fuit, testandæ ergò scripsimus *DONAIDAS*, quas in lucem editas, ad FRASERIUM mitti jusserunt COLLEGÆ nostri carissimi, unà cum DIPLOMATE DOCTORALI, vittis ornato, variis floribus aureisque picturis pulcherrimè depicto, ut ex notis in *DONAIDAS* nostras patet. Marmor etiam, cui FRASERII insignia inscripta sunt, in *Atrio Collegii* inter principes ATHENÆI fautores erigitur. Pingi etiam *Londini* FRASERIUM cuidam in mandatis dedimus : picturam autem ipse impensis immunem misit ; quam adeò exoptatam, utpote *Ipsius Vicariam*, lætitiam agitantes accepimus, acceptamque, juxta nunquam non celebrandum ELPHINSTONIUM à lævâ in *Aulâ Maximâ* collocavimus. Traditum est FRASERIO *Diploma*, traditæ sunt *Donaides*, exeunte mense *Maio*, aut ineunte *Junio*, anni 1725. Cum ex his animi grati & humani officiis exploratam haberet mentem *Academiæ Professorum* & Moderatorum, proximâ epistolâ testatur se habere gratiam ea grata fuisse adversum ipsos quæ prius fecerat, ideoque sibi in animo esse plura largiri, dando scilicet provehendis ædificiis, alias centum libras, sic sexcentas complere, & præterea quadringentas libras in eundem usum legare, nec non alendis duobus Philosophiæ studiosis, & uni S. T. studioso, cui & curæ esset Bibliotheca, annuum sufficere censum. Quæ omnia non verbis solùm, sed & re præstitit, & complura alia, uti mox dicetur ; hoc solùm discrimine, quod ipse vivus in manus nostras tradiderit quadringentas hasce libras, quas prius Testamento relinquere decreverat. Mense enim *Octobri*, anni prius dicti, nimirum 1725, ducentas libras persolvit, annoque proximo 1726, mense *Maio*, missis aliis centum, libras sexcentas complevit : anno deinde 1727, alias ducentas libras misit, centum mense *Martio*, & totidem mense *Septembri*, quæ octingentas conficiunt. Anno 1728, mense *Junio*, persolvit ducentas libras, dimidiam partem quadringentarum librarum, quas prius tabulis supremis legare decreverat : reliquam autem harum partem dimidiam optimâ etiam fide largitus est anno 1730, mense *Junio*. Hinc conficitur summa mille ducentarum librarum, quam nobis instaurandæ *Bibliothecæ* & *Collegii lateri Australi* subinde suppeditavit munificentissimus noster FRASERIUS. Quam summam, mille & ducentarum librarum, nec non quicquid ex terris de MOY perceptum

ptum eſt, unà cum trecentis aliis libris *Anglicanis* & amplius, aut ex plumbo, aliaque materiâ veteri confectis, aut fide *Collegii Moderatorum*, mutuo ſumptis, BIBLIOTHECÆ & DUNBARIIS ÆDIFICIIS inſtaurandis optimâ fide hactenus impenſam docent ÆDILIS noſtri fideliſſimi & vigilantiſſimi tabulæ. Nec alicui dubium hærebit, qui vel aſpexerit Ædificia hæc ampla, tam ſplendida, tam magnifica, adeoque exornata. Alendis etiam ex promiſſo duobus Philoſophiæ ſtudioſis, unique S. T. ſtudioſo per quinquennium aut ſexennium ultimo elapſum, quindecim aut ſedecim libras *Anglicanas* donavit. Præter hæc omnia, inſuper FRASERIUS ædificiis promovendis ſacravit annuos reditus terrarum ſuarum de WESTERMOY durante vitâ, uti patet ex ipſius tabulis GYMNASIARCHÆ noſtro in gratiam COLLEGII conceſſis, xxxi die *Martii*, Anno M. DCC. XXVI. Annui hi reditus ad ſummam ſurgunt circiter quinquaginta librarum, unde tamen decerpunt quinque libras publica quædam onera, adeò ut COLLEGIO cedant ex hiſce terris, quotannis quadraginta quinque circiter libræ, quas quidem pro Annis 1726 & 1727 percepimus; per triennium verò reliquum cum dimidio anni ad mortem pientiſſimi FRASERII adhuc debentur, ſed brevi ſolutum iri ſperamus.

BIBLIOTHECAM autem non modo extruxit FRASERIUS, ſed extructam ornavit, variâque & pretioſâ librorum & impreſſorum & manuſcriptorum quorundam ſupellectile inſtruxit. Præter codices ſupra memoratos, ſingulis fere annis, per ſeptennium ultimò elapſum, libros nobis advehendos curavit. Anno præſertim 1723, ducenta quatuor & ſexaginta volumina, quæ duos pluteos ad Orientalem Bibliothecæ parietem complent: Anno 1725, trecenta circiter Volumina, & Anno 1727, ſupra ducenta volumina, aliiſque annis alia, ad numerum fere nongentorum aut mille Voluminum, quod ex Catalogis in Bibliothecâ patet. BIBLIOTHECÆ in primis proſpexit FRASERIUS, ſupremis ſuis tabellis, queis legavit COLLEGIO noſtro REGIO, ſummam viginti & ducentarum librarum ex ſorte ſuâ *Auſtrali*, unde perpetuum ſuppeteret alimentum duobus Adoleſcentibus, alteri Philoſophiæ, alteri S. T. ſtudioſo, qui ſimul & Bibliothecarius foret: nec non ſummam quinquaginta librarum ad comparanda inſtrumenta Mathematica. Iiſdem etiam tabulis, Bibliothecæ ſanxit Ciſtulas tractiles, reponendis Manuſcriptis, & Chartis pretioſis, ac Inſtrumenta quædam alia, unà cum libris quibuſdam impreſſis & MSS. Schedulâ quadam notandis. Aliquot

ante

ante annos donaverat poculum capax ex argento deauratum, in celebrioribus Academiæ conventibus utendum.

PRIUSQUAM progrediar, hîc mihi absque fastu ansam arripere liceat laudandi fidem *Academiæ Moderatorum*, qui FRASERII pecuniam in quos ipse sacrâsset usus, tantâ cum curâ & diligentiâ erogârint. Vobis PROFESSORES ORNATISSIMI, COLLEGÆ DILECTISSIMI, gratulor, mihi gaudeo, Ædificia quæ nuper ereximus, omnium qui viderint ore celebrari; nec studium & operam nostram malè collocatam censeri; & quod ALMA MATER nostra, nuper senio contabescens, nunc viridi floreat juventâ, sub auspiciis venerandi Viri GEORGII CAMERARII, GYMNASIARCHÆ nostri ornatissimi, qui quâ pollet prudentiâ & humanitate FRASERIUM ita coluit, ut quam ab illo iniit gratiam ACADEMIA perpetuo tenore inviolatam servaverit. Nec hîc, mî mellitissime PROGYMNASIARCHA, laudes tuas tacere fas est: tu nobis VITRUVIUS *Aberdonensis*, FRASERIANO operi ipse FRASERIUS præfuisti; tu aut solus, aut cum Collegis, qui per vices Operariis inspectores aderant, iis nunquam non interfuisti, consulendo, hortando, aliaque omnia ÆDILIS vigilantissimi officia peragendo. Te etiam silere, mî BURNETTE, *Collega Conjunctissime*, piaculum ducerem: tu ARCHIMEDES noster, qui à celeberrimo BOERO disciplinis Mathematicis institutus, ACADEMIÆ plurimùm profuisti, non solùm hisce scientiis, & Philosophiâ quam plurimos adolescentes instituendo, sed Ædes designando, easque commodas & ornatas reddendo. Progymnasiarchæ & Tibi acceptum refert Academia, quod extra se Architectos quærere non fuerit opus; unde haud parum rei Academicæ consultum est.

FRASERIUS, præter munera in ALMAM MATREM nostram collata, alia in alios varia & plurima contulit. *SCOTICANÆ* SOCIETATI de propagandâ CHRISTIANA FIDE apud Montanos & Insulanos, & de eorum moribus emendandis institutæ, diversis temporibus, *Nummos aureos sexcentos* (quod ex Testamento patet) largitus est; crebrasque librorum donationes fecit, queis instituerentur *Bibliothecæ*, aut institutæ augerentur in locis longè dissitis, asperis & incultis, barbarie ipsâ squalentibus, quæ nunc illic passim fugatur sub auspiciis NOMINUM CELEBERRIMORUM, literis, pietate & virtute maximè insignium. Civi-

tatem

tatem INNERNESSENSEM haud ſpernendâ proſecutus eſt munificentiâ. *Urbi Præfectis, Verbi*que *Divini Miniſtris*, quinquaginta libras *Anglicanas* ſupremis tabulis ſacravit, ad inſtituendos artibus Mechanicis, quæ maximo forent uſui, pauperiorum liberos, in Urbe aut Provinciâ *Innerneſſenſi* natos, nomine *Fraſerios*. Antea his donaverat quam plurimos libros ad pretium, uti cenſebatur, ducentorum aureorum; nec non donaverat mille *minas Scoticas*, quarum uſuram dimidiam *Bibliothecæ* augendæ, alteram dimidiam Ludimagiſtro, cui & cuſtodienda foret Bibliotheca, quotannis perſolvi juſſerat. Auctor etiam fuit fratri GULIELMO GUBERNATORI, de quo ſupra dictum, ut huic Civitati *quinquaginta libras* legaret, partim *Bibliothecæ* augendæ, partim *egenis Civibus levandis*: hæc ſumma ante annos duodecim perſoluta fuit. Plura ipſius tum in *Cognatos* tum in *Alios* merita & beneficia, quæ partim ex Teſtamento patent, brevitatis causâ omittimus.

TALEM & TANTUM VIRUM quis ex æquo deflere valeat? Quo luctu proſequar eum fato abreptum, qui nunquam ſibi ſoli vixerit, memor uſque ſe non ſibi ſoli natum fuiſſe? Quibus laudibus prædicabo VIRUM, qui divitiis auctus, has nec nimium amaverit, nec nimium ſpreverit, ſed aureæ mediocritatis ſemper inſiſtens ſemitam, toti generi humano, quantum in ſe fuit, prodeſſe voluit. Complures opulenti rerum ſuarum ſatagunt, ſibi ſuæque familiæ tantummodo proſpicientes, de aliis minimè ſolliciti, cum interea ſe indignis forſan hæredibus pecuniam properare neſciant. Multi etiam mortales, genio indulgentes, vino, ventri atque ſomno dediti, patrimonia profundunt, atque fortunas ſuas abliguriunt. Alii rem decoquunt, aut aleis ludentes, aut vanos captantes honores, Æſopico perſimiles cani, qui dimiſsâ verâ quam tenebat carne, umbratilem captans, utramque amiſit. Quidam etiam defraudantes genium ſuum, magnas inter opes inopes, uſque adeo ſordidi ſunt, ut congeſtis inhiantes ſaccis indormiant, nec unquam ſe ſervo melius veſtiant, & nummis oculos non ventrem eſurientem paſcant. Longè aliter FRASERIUS noſter, qui quod ſibi ſatis eſſet, ſumpſit; quod ſatis eſſet liberis tribuit; quicquid reliquum eſſet bonorum, vix ſuum ducens, DEO & PATRIÆ, LITERIS & VIRTUTI ſacravit. Jure igitur optimo hunc MÆCENATEM & PATRONUM SUUM, mœrens luget ALMA MATER *ABERDONENSIS*, luget RESP. LITERARIA, luget ORBIS

BIS CHRISTIANUS. VIR verè beatus, qui non minus ſeipſum datis beneficiis, quam alios acceptis beârit. Hæc qui faciat, non ego EUM cum ſummis Viris comparo, ſed ſimillimum DEO judico. Nullâ enim re magis quam bonitate & beneficentiâ, ad divinam naturam accedimus mortales ; quoque fuſius patet beneficentia hæc, eò propius accedimus. Et quidem non in unam aliquam rem nimis intentus, & in hac totus FRASERIUS, ut ſolent quidam, alia officia aſpernabatur : non *Eccleſiæ* ſolùm, ſed *Reip.* conſulere avebat ; non *Artibus* duntaxat *liberalibus*, ſed & *Mechanicis* favebat. Ejus pietatem longævâ vitâ, pleriſque quæ ſenectutem comitari ſolent, malis immuni remuneratus eſt DEUS. Triduo prius quam obîerat, *die* nimirum *Dominico*, foris apud generum IMPÆUM prandebat ; *die Lunæ* malè ſe habere cœpit, ſed lecto non affixus eſt ; *die Mercurii*, qui menſis *Maii* xxvi^tus^ fuit, placidiſſimâ morte obdormivit in ſuis ædibus *Londini*, Ætatis annum agens octogeſimum ſextum. Sic occidit fulgentiſſimum ILLUD SIDUS COLLEGIO REGIO *ABERDONENSI* uſque propitium, quo occidente, tantæ nobis obortæ tenebræ. Mortis acerbæ ipſe triſtis nuncius, ſcitis COLLEGÆ chariſſimi, quam vos contriſtaverim, quo dolore vobis animos perculerim, quâ mœſtitiâ ora oculoſque perfuderim. O atrum illum diem ! & *Almæ Matri* noſtræ inter nefaſtos notandum ! qui nobis *Patrem* & *Parentem* adeo pium abripuit. Hinc nos hodie pullati, ingemiſcentes lugemus ; colluget tota Studioſorum Cohors ; hinc triſte tinniunt Campanæ ; hinc *Parietes* certè ! *hujus Scholæ* qui olim geſtire videbantur tui nominis, OPTIME FRASERI, prædicationem avidis haurientes auribus, & ipſa hæc *Roſtra pullata*, unde jam verba facio, unde & Tu ipſe verba feciſti, ante annos ſeptem & ſexaginta coram ſolenni cœtu ; hi *Parietes*, inquam, & hæc *Roſtra*, ſæpe tuarum laudum loquacia, jam nimio dolore oppreſſa, dum planctus edere ſtudent, obmuteſcere videntur. *Ingens ſtupet dolor, parvus loquitur. Stupet* & BIBLIOTHECA, quæ Te ſæpius diſſerentem, ſummâ cum voluptate audiit, quæque dum tuas laudes promere avet, elinguis fit, interim tamen explicans mille Volumina, eorumque brachia relegens, nutu ſigniſque monſtrat ſpectantibus, inſcriptum iſtis FRASERII nomen, ſummâ uſque veneratione colendum.

SED

SED ne nos in nimias effusi lachrymas dolori indulgeamus, nec inanibus vacemus querimoniis, cum satis diu naturæ, satis gloriæ vixerit FRASERIUS, licet *Patriæ* parum, licet *Almæ Matri* parum. Vivit adhuc, vivetque per sera secula. Dum stabit COLLEGIUM REGIUM, stabit FRASERII Monimentum ære perennius; hujus excelsæ turres & ardua fastigia illum in altum tollent. Lachrymis itaque misceamus gaudia, hoc die ALMÆ MATRI nostræ fausto & felici, qui primus beneficentissimum FRASERIUM nobis dias in oras luminis protulit; atque SUMMO NUMINI gratias habeamus & agamus, quod dum de rebus nostris conclamatum fere esset, MUNIFICENTISSIMUM FRASERIUM tam opportunè excitârit, illique animum tanto in nos studio accenderit, eumque longævum nobis tam diu superstitem servaverit. Forsitan hoc sidere propitio jam occultato, exorientur stellæ nobis propitiæ: forsan FRASERIUM præeuntem sequentur alii, si non nomine, animo saltem FRASERII, qui ædificiis feliciter institutis, & haud parum provectis coronidem imponant, quique ædibus absolutis, PROFESSORUM rationem habeant, ita ut his alacriter docentibus, nec ex re domi angustâ animum despondentibus, floreant apud nos *Artes Liberales*, vigeantque *Bonarum Literarum* studia. Non me vanum fore Augurem, fidem facit vel istud, quod non adeò pridem *Illustrissimus* & *Nobilissimus* D. DOMINUS de LOVAT Chirographo suo *centum libras Anglicanas* provehendis ACADEMIÆ Ædificiis sanxerit: quamobrem IPSIUS Insignia in *Collegii Atrio* conspicienda sunt. Hinc Ædificia illa, FRASERIANA OPERA jure merito insigniantur.

JAM peroraſſem, nisi malevolorum quorundam maledictis respondendum esset, qui FRASERIO aliisque Viris in Patriam pietate præditis, vitio vertunt quod integras facultates & fortunas suas ad assem liberis & cognatis seu bene seu malè merentibus non relinquant; iisque superbiæ crimen inurere volunt; quasi inani ducti gloriâ, hæc præclara faciant opera & merita quæ aut *Ecclesiæ* aut *Reip.* prosunt. Faciunt certe intelligendo malevoli hi, ut nihil intelligant, qui cum superbiæ alios insimulent, se avaros & nimium ad rem attentos prodant, invidos itidem & mordaces, qui VIRTUTEM dente maligno petant. Omnibus, quantum in nobis est, benefaciendum suadet ratio sana, hortantur sacræ literæ,

ræ, quæ & benefacientes beatos ſæpe prædicant. Non nobis ſolis nati ſumus ; immo nec familiæ noſtræ ſoli, ſed patriæ ; nec patriæ ſoli, ſed alienigenis, & genti humanæ per totum terrarum orbem ſpatſæ. Quò beneficentior quis, eò melior ; qui beneficentiſſimus, optimus. Nobis quidem, liberis & cognatis in primis conſulendum, officia verò & merita in alios non negligenda. Et ſi quis pietatem præ ſe ferens, ſe ſuoſque omnino negligat, omniaque bona ſua ad aſſem publico alicui commodo conſecret, vanum inani ſuæ gloriæ prætexens nomen, non laudo, non probo ; immo, me judice, pro impio & inhumano habendus ; nec criminis expers qui talia ſuaſerit. Hinc verò ne quis abſterreatur à verâ pietate, ſed veſtigiis inſiſtens FRASERII præeuntis, qui *auream* diligens *mediocritatem*, MODUM in rebus ſemper ſervabat, & intra *certos* NATURÆ *fines* vivere callebat; qui in primis quidem SIBI, NATIS & COGNATIS, uti par erat, conſuluit ; ALIIS etiam, quantum in ſe fuit, proſpexit. *Quid enim*, ut ait *Cicero*, *eſt melius & præſtantius bonitate & beneficentiâ ?* nec ullâ aliâ re, magis ad DEUM, uti dictum, accedimus mortales. Monent etiam Oracula ſacra, ut *præluceat noſtra lux apud homines, ut noſtra rectè facta videntes, collaudent Patrem noſtrum qui in Cœlis eſt.* Licet igitur bona facere opera coram hominibus, ut ea ipſa videant ; non quidem ut de his noſmet ipſi gloriemur, ſed ut ſit quod imitentur alii. Hæc æquis rerum æſtimatoribus dijudicanda relinquimus.

VEREOR, *Auditores dilectiſſimi*, ut vobis aures animoſque ſolutâ oratione fatigaverim, finem igitur faciam, recitando ALMÆ MATRIS noſtræ Orationem, numeris aſtrictam, *Elegiacis* verſibus FRASERIUM SUUM flebiliter canentis.

LA-

LACHRYMÆ & PLANCTUS

ALMÆ MATRIS, COLLEGII REGII ABERDONENSIS, de Morte desideratissimi sui ALUMNI, & τῦ Ευεργέτυ munificentissimi, JACOBI FRASERII, J. U. D. qui *Londini* obiit, *Die Mercurii*, xxvi *Maii*, A. D. M. DCCXXXI. *Ætatis suæ*, lxxxvi.

HEU! *jacet eximius noster* FRASERIUS, *eheu!*
MÆCENAS noster : prob dolor ! ille jacet.
Solus qui tristes hac tempestate Camœnas
Respexit placido lumine ; dulce caput.
Ex tot quot genui Natis carissimus : unus
Instar multorum munera multa dedit.
Est qui *divitias certat cumulare superbas,*
Quò figat stabilem perpetuamque domum.
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis,
Immemor ah! nostri, vix memor ipse sui.

Perdi-

Perditus aſt Juvenis lacerat ſibi parta bibendo,
Scortis aut talis : ſic bona Patris *eunt.*
Hic *opibus ſtudet ; & vanos cupit alter honores,*
Hunc tangunt faſces, ſella *&* eburna *juvat.*
LIBER amat SERVUS fieri : ſordent ſua tecta,
Regia ſola placent, nec memor ille MEI.
Eſt qui *congeſtis inhians* miſer *undique ſaccis*
Ceu ſacris parcit, demere & inde timet.
Sordidus hic odio eſt cunctis, & inutile pondus,
Nec ſibi *neve* aliis, *nec* mihi *natus erat.*
Non ita FRASERIUS, Genitricis *dulce levamen ;*
Sed memor uſque ſui, *ſed memor uſque* mei.
Is mihi propitius Nutritia *larga rependit,*
Prompta manu facili, cordeque prompta pio.
Cum miſera ac languens, annis confecta jacerem,
Triſtis, inops ; ſtrata & tecta vetuſta ſolo ;
Nemoque dignatus longævam viſere MATREM,
Ex tot quot genui, nec quis adeſſe velit ;
ME bonus inviſit, cernens & triſte jacentem
Erigit, erectam molliter atque fovet.
Decrepitamque *jubet* viridi *florere* juventâ,
Artus *mirificâ fingit & arte* novos.
Squalida nunc abſunt inamœna & rudera, pulchræ
Splendeſcunt ÆDES : area tota nitet.
Area ſublimibus fulget decorata columnis
Marmore de Pario : cuncta ſuperba micant.
REGIS opus priſci & venerandi FLAMINIS, hinc jam
FRASERIANA ſonet, Principe digna, DOMUS.
Inter clara DEÆ, pulcherrimæ & oſtia DONÆ
Arduæ FRASERII ſtant monimenta PII.

Quis

Queis & Pyramides Regales atque Columnæ
Cedant : illa animi nobilis, iſta manûs.
Cumque prius tenuis librorum & curta ſupellex,
Inſtruxit ſcriptis codicibuſque bonis.
Quoſque Duces noſtri Cuſtodes ponere vellent
His libris, auxit munere largus opis.
Et quod alat Juvenes, ſtudiis ac artibus aptos,
Ingeniique boni, contulit ille bonus.
Nec ME muneribus ſolam cumulare juvabat,
Multis ille aliis plurima dona dedit ;
Et tamen interea cognatos uſque colebat,
Quo par eſt cenſu divitiiſque beans.
Non ſibi, quæ Natura dolet ſublata, negabat ;
Nummo haud poſthabitus, panis oluſque fuit.
Huic DII divitias, huic DII tribuêre fruendi
Artem ; non aliis nec mihi iniquus erat.
Hinc hinc divitiis uti condiſcat acervi
Prodigus immenſi : diſcat avarus, inops.
Inclyte FRASERI, Muſarum maxima cura,
Degeneris ſæcli laus, ſimul opprobrium.
Cui DEUS incoctum generoſo pectus honeſto
Indidit, ardere ac juſſit amore ſui.
Flagrare & ſtudio virtutem juſſit in omnem,
Ingenuaſque artes, Pierideſque ſacras.
Queis ego te lachrymis plorem, dulciſſime fili,
Raptum, O præſidium, deliciæque meæ.
Obruit ora dolor! vox eheu ! faucibus hæret ;
Vixque valet titubans lingua referre ſonos.
Vos quibus eſt noſtri cuſtodia credita, planctus
Edite : tota gemat nunc ſtudioſa cohors.

Sanctus abeſt Genitor ; *cui quis ſimilemve paremve*
Millibus in multis vix reperire queat.
Ingens ille OPIFER *qui vobis reſtituit rem*
Lapſam ; labentem ſuſtulit & alter ATLAS.
Pervigil in priſcum mundus reviviſceret aurum,
Hujus ad exemplum ſe modò quiſque regat.
DONAIDES *caræ, paſſis properate capillis,*
FRASERIO *exequias, juſta decora,* PIO.
Feraleſque faces adſint, foribuſque cupreſſus,
In promptu, & adſtet quod Libitina *volet.*
Nec tamen hinc abſint hederæ, laurique comantes,
Purpurei flores, lilia miſta roſis.
Nam tua, FRASERI, *per ſecula cuncta vireſcens*
Florebit virtus, nomen, honoſque tuus.
Ocyus in TAMESIN, *curſus intendite veſtros,*
Indeque RELLIQUIAS *huc vehitote* SACRAS.
Has ELPHINSTONIUM *juxta & componite rite,*
Cognatos cineres contegat Urna duos.
Condidit ille Ædes noſtras, *at* REGE JUVANTE,
Hic SINE REGE *novus* CONDITOR *alter ovat.*
Huic facite & tumulum, tumuloque inſcribite Carmen,
EJUS quod moneat, commoneatque MEI.

CONDITUR HOC TUMULO, PIETATE INSIGNIS AVITA,
FRASERIUS, MATRIS GLORIA MAGNA SUÆ :
CUI MODUS IN REBUS PLACUIT, CUI SEMPER ET INTRA
NATURÆ FINES VIVERE DULCE FUIT.

RECTOR

RECTOR hujus UNIVERSITATIS Magnifice, multis nominibus nobis usque colende ; Reliquique omnium ordinum quotquot adestis AUDITORES, generosissimi, spectatissimi ; quod Conventum hunc, BENEFICENTISSIMI FRASERII memoriæ sacrum, præsentiâ vestrâ cohonestare dignati fueritis ; VOBIS gratias quam maximas agimus & habemus.

SOLI DEO TRI-UNI, PATRI, FILIO & SPIRITUI SANCTO,
Sit honor, laus & gloria in sæcula sæculorum, *Amen.*

EX BIBLIOTHECA COLLEGII REGALIS ABERDONENSIS

BRITISH MUSEUM 7 JY 74